

Atque in morborum igitur curatione causam quidem, cum una sit, facilius quis tollit (§. 43.), effectus vero neutiquam, cum permulti sunt, atque mirabiliter germinant, prout olim cervices Hydrae innumera capita habentis. Causa enim permanens eadem operatur, quae deficiunt, causa deficiente (§. 38.). Id quod ante omnia quis observare debet, si morbos facile curare velit, atque breviter & paucis eradicare.

§. 45. Ad facilitandam autem medelam cum tempus non parum conferat, medicamentorum abufum facile tollit. Etenim si quis morborum exacerbationes, eorumque remissiones & intermissiones, initium etiam atque augmentum, & vigorem eorum juxta observet (§. 26.), & adhuc tempora anniversaria atque nocturna & diurna, in quibus praecipue accidere solent: atque illis quidem cedens, in his autem ea quae oportet agens minime multis medicamentis opus habebit (e); praecipue autem si tempus praefinitum observet (§. 31.), medicamentum dico opportunitatem, in qua morborum curatione vel maxime sita est, unico simplici medicamento plus efficiet,

H

quam

---

(e) Home ib. L. I, p. III. sect. III. I. 5. 6. — 17.